

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Dicti Prophetici

Malach. 1.

Dilexi Iacob: Esau autem odio habui.

*In qua genuinus sensus aperitur, & contra
Idemque Calvinianam defenditur,*

Disputationis ordinariæ loco

Proposita

à

L. IOHANNNE HÖPNERO

Prof. publ. Archidiac, ad D. Thom.

Respondente.

M. BARTHOLOMÆO BECKIO

Döbelensi, SS. Theol. Candidato, Gymnasii
Islebiensis Rectore designato.

Ad diem X. Septembris.

L I P S I Æ,

Johann Glück excudebat.

ANNO M. DC. XXIV. * 3.

~~Handwritten scribbles and marks at the bottom right of the page.~~

Coll. diss. A
81, 39

sq. A 181 (39.)

42

1717

D. J. Beckio

D. J. Beckio

D. J. Beckio

D. J. Beckio

Beckio

J. JOHANNES HÖPNER

Prof publ. Archid. ad D. Thom.



Respon.

J. BARTHOLOMEO BECKIO

Döbeln, 38. Theol. Candidat, Gymnas.

lectoris lectione designat.

Abdian X. Septemb.

1717

Johann Beckio

ANNO M. DC. XXIV.



IN NOMINE JESU.

Malachia 1. v. 3.

נֶאֱהָב אֶת-יַעֲקֹב : וְאֶת-עֵשָׂו
שָׂנֵאתִי ;

ἠγάπησα τὸν Ἰακώβ. τὸν δὲ Ἡσαῦ ἐμίσησα.
Dilexi Jacob : at Esau odio habui.

I.



Letum hoc Malachia, licet per se sit clarissimum; tamen, propter varias hereticorum detorsiones, Italus quidam opus habet, ne durius quid auribus ac mentibus nostris ingerat.

II.

Extat autem parallelum dictum quoad phrasin in Psalmo 78. v. 67. Et repulit tabernaculum Joseph, & tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit.

παράλληλι-
σμός τῆς φρά-
σεως.

III.

In quo dicto mentio fit non modo dilectionis Dei erga tribum Juda, sed etiam electionis: fit etiam mentio odii, seu reprobationis tabernaculi Josephi, & non electionis, seu praeeremptionis tribus Ephraimitica.

IV.

Jam ex Psalmista verbis nemo ex Theologis veteribus, aut

A 2

recen-

recentibus ausus est temerè judicare de absoluta aliqua dilectione & electione tribus Juda: aut de absoluta reprobatione & odio simplici ac fatali tribus Ephraim.

V.

Eodem modo prorsus ἀθεολόγως hoc vaticinium Malachia explicant, qui illud in negotio salutis ad absolutam aliquam dilectionem Jacobi, & ad absolutum odium & reprobationem Esavi deterquent.

VI.

Talis enim interpretatio neq; ex Propheta Malachia, neq; ex allegatione Paulina Rom. 9. v. 13. probari potest.

VII.

Non ex Malachia.

1. Quia Propheta non alio sensu oraculum hoc exponit, quàm quo ab ipso DEO fuit prolatum: At qui Genes. 25. v. 22. 23. neq; de prædestinatione interrogavit Rebecca, neq; respondit Deus, sed oraculum divinum proditur de primogenitura minori natu conferenda, majori natu abroganda.

VIII.

2. Deinde non tam de personis ipsis duorum fratrum, quàm de posteritate Esavi & Jacobi agitur, Gen. 25. v. 23. sicut eventus docuit, verba illa cœlestis responsi: Major serviet minori: non in personis ipsis adimpleta fuisse, sed in earum posteris. Hinc Jacobus fratrem Esau appellat suum Dominum, Gen. 33. v. 5. 8. 13. 14. 15. Neq; unquam dominium in Esavum usurpavit; sed posteris Jacobi dominati sunt Idumæis: sicut legitimus de Davide, quod Idumæam in servitutem redegerit, Ps. 60. v. 10. 11. Ps. 108. v. 10. 2. Sam. 8. v. 14. & de rege Amasia, quod percussit Edom, 2. Reg. 14. v. 7.

IX.

3. Patet hoc ex annexo dignitatis primo genitura istius, promissio.

promissione scilicet terra benedicta; in qua Messiam nasci, ac opus redemptionis absolvere oportuit, qua terra ideò post devastationem à solitudine fuit vindicata; Idumaea autem in perpetua devastatione relicta: sicut Propheta è vestigio subdit hac verba: Et posui Seir montes ejus in solitudinem, & hereditatem eius in desertum Draconis. v. 3.

X.

4. Deniq; si verba Malachia de predestinatione & reprobatione aternâ interpretari velis, hac duo absurda nunquam declinâbis. Sequetur enim ex unâ parte, Jacobum cum totâ suâ posteritate salvatum esse: ex alterâ parte, Esavum & omnes ejus posteros condemnatos esse.

XI.

Utrumq; manifestâ falsitate laborat, cum constet, ex Israëlitis damnatos esse non paucos: ex Esavi etiam posteris salvatos esse plurimos.

XII.

Utq; ex multis unum tantummodo adducam exemplum, Hiobum fuisse Idumaeum multi interpretes statuunt: quod haud obscure colligitur ex Genes, 36. v. 10. ubi fit mentio Eliphazi filii Ada uxoris Esau, quem consanguineum fuisse Hiobi ex Hiob. c. 2. v. 11. percipimus.

XIII.

Unde etiam Calvinus in commentario super cap. 1. Hiobi: Si Jobum, inquit, dicamus fuisse ex regione Hus, erat Idumaeus, id est, ex posteris Esavi. Quamvis verò esset ex Esau posteris, videmus tamen, quàm integrè vixerit, Deumq; coluerit, non tantum rectitudine & equitate erga homines servatâ; sed etiam purâ religione retentâ, & ab Idololatriâ & superstitione infidelium custoditâ.

XIV.

Non ex allegatione Paulinâ: Quia Paulus non agit

205
xvpias de aeterna reprobatione, vel electione, licet nonnulla hunc articulum concernentia sparsim immisceantur; sed de temporali vocatione gentilium ad regnum Christi, cuius typum Paulus statuit electionem Jacobi ad dignitatem primogenituræ: & de rejectione Judæorum facta in tempore, cuius typus fuit reprobatio & exclusio Esavi à præminentia illâ, & ab hereditate patriæ Messia.

XV.

Hic est principalis scopus Pauli, qui planè convenit cum prædictione Salvatoris Matth. 21. v. 43. Dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.

XVI.

Probatur hic scopus. 1. quia si de aeterna reprobatione Judæorum ageret Paulus, nulla ipsis spes salutis esset reliqua. Jam verò Paulus Judæis temporaliter rejectis spem bonam facit, redeundi cum Deo in gratiam; quin etiam pro salute illorum DEUM seriò deprecatur, Rom. 10. v. 1. neq; dubitat, quin Judæi per ministerium Apostolorum in pristinum gratiæ statum restitui, & ceu rami defracti, olea vicissim inseri queant, imò non obscure de insigni Judæorum conversione vaticinatur, Rom. 11. v. 14. 23. 26. 31.

XVII.

Deinde connexio historiarum Esavi & Jacobi cum historia Ismaëlis & Isaaci, scopum istum mirificè confirmat. Ut enim hic non de prædestinatione ad salutem agitur, verum de hereditate bonorum paternorum, & de successionis privilegio: Ita nec illic de electione, aut reprobatione sermo est, sed de æterna primogenitura prærogativa.

XVIII.

Tertio, applicatio horum typorum secundum prædictum scopum scripturæ per omnia ἐν ᾧ λόγος & conformis est.

Sicut

XIX.

Sicut enim Esau reiectus fuit, ob profanitatem animi & contemptum primogenitura; Jacobus autem illi ante positus ex solâ Dei dilectione, non ob merita operum: Ita Judæi, ut ut secundum carnem sint semen Abraha, reiecti sunt à DEO propter incredulitatem & contemptum Evangelii; gentiles verò eorum loco assumpti & recepti ex merâ Dei gratia per fidem in Christum, non propter opera bona, seu merita.

XX.

Applicatio verò Calvinianorum, in qua Esavum reprobationis, Jacobum verò electionis exemplum constituant, non saltem difficultatibus quamplurimis laborat, sed etiam scriptura è diametro repugnat.

XXI.

Invenies hanc applicationem apud Piscatorem in analysi Prophetæ Malachia, observatione 1. in caput 1. In Jacobo, inquit, & Esavo proponitur exemplum libera electionis divina: qua DEUS ex duobus equaliter damnationem aeternam commertis alterum diligit, alterum odit: ac proinde alterum salvat, alterum damnat.

XXII.

Idem super cap. 9. ad Romanos v. 13. scribit pag. m. 175. Ostendis igitur Apostolus. promissionem gratia ne ad Isaaci quidem filios omnes pertinere: quippe cum reiectus sit Esau frater Jacobi germanus. Calvinus l. 3. Institut. c. 2. §. vi. Ut Jacob nihil dum bonis operibus promeritus assumitur in gratiam: Sic Esau nullo adhuc scelere inquinatus odio habetur.

XXIII.

Hac applicatio à scopo Pauli recedit, & scriptura multis modis contrariatur.

XXIV.

Quia Esavum esse ex numero reproborum, haud ex Scriptura

ptura

tura posse probari, etiam nonnulli ex adversariis fatentur, Oecolampadius & Möllerus super cap. 1. Malach. & Petrus Martyr in c. 9. ad Rom.

XXV.

Contra haud obscura indicia extant in scriptura, quae de vera poenitentia Esavi testimonium perhibent: quia Isaac etiam cognita profanitate Esavi, quae vendiderat primogenituram, nihilominus paratus erat ipsi conferre dignitatem sacerdotalem ac ducalem, Gen. 27. v. 4. quod minimè fecisset, si Esavum pro reprobato habuisset: Deinde una cum fratre sepulturam Patris curavit. Genes. 35. v. 29.

XXVI.

Quin nec Esavus ab omni benedictione fuit exclusus, sed à certâ specie benedictionis quae à jure & privilegio primogeniturae dependebat, quae ex singulari Dei dilectione cessit Jacobo: Isaac vero commotus Esavi lachrymis peculiarem ipsi impertivit benedictionem Genes. 27. v. 39.

XXVII.

Prætereà Jacobus dicitur Esavo abstulisse vel prærripuisse benedictionem, Genes. 27. v. 36. minimè autem salutem aeternam.

XXVIII.

Quod autem Epistola ad Heb. c. 12. v. 17. commemorat, Esavum locum poenitentiae non reperisse, tamen si cum lachrymis eam quasi veritè loquitur istud dictum de poenitentia amissa, non de poenitentia admissa.

XXIX.

Amisam enim & in Jacobum translata benedictionem recuperare haud potuit, nec patrem lachrymis suis permovere, ut eum benedictionis translata poeniteret, aut eam revocaret, Genes. 27. v. 33.

XXX.

Porro in hisce quoque membris claudicat applicatio Calviniana

vinianorum. Sicut reprobationis Esavi, inquit, causa prima non nisi liberrima DEI voluntas fuit: Ita etiam in reprobatione hominum causa prima non nisi in mera & libera DEI voluntate collocanda est! Perperam & ἀθεολόγως.

XXXI.

Reprobatio enim Esavi & reprobatio hominum toto caelo differunt. Reprobatus est Esau & exclusus à jure primogeniturae, & reprobari sic potuit salvâ justitiâ DEI, & sine dispendio salutis aeternae.

XXXII.

Sed talis absoluta reprobatio hominum ex nulla alia causa dependens, quàm ex nudo & absoluto seu liberrimo divinae voluntatis proposito neq; cum justitiâ DEI neq; cum universali ejus dilectione erga totum mundum consistere potest.

XXXIII.

Ulterius, sicut electionis Jacobi, inquit, causa prima, non nisi in solo ac nudo divinae voluntatis beneplacito ac proposito querenda est: Ita etiam electionis hominum ad salutem nulla alia causa prima statui debet ac potest, quàm mera & liberrima Dei voluntas.

XXXIV.

Quam quidem non solum ab omni carnalis natiuitatis privilegio, omniq; merito humano prorsus liberam esse statuunt (quod cum Pauli scopo convenit) sed eandem ita absolutam esse comminiscuntur, ut ne cum mediis quidem salutis consistere queat.

XXXV.

Hic impingit applicatio Calvinianorum non leviter, sed committit errorem contra fundamentum salutis. Ab exclusione enim operum ac meritorum humanorum ad exclusionem mediorum salutis non valet consequentia.

B

Sit

XXXVI.

Sit sanè misericordissima Dei diligentis voluntas liberrima, quoad opera hominum, & quoad omne id, quod quovis modo ab hominibus proficisci potest, non tamen planè est absoluta, quoad ordinem & media salutis. Sic DEUS homines aliquos liberè justificat, quosdam condemnat: sed non absolute, verum credentes justificat, & incredulos condemnat, juxta perpetuam sententiam Evangelii.

XXXVII.

Quamvis igitur applicatio Calvinianorum tot modis veritati & scripturæ repugnet, Pareus tamen quinque rationibus eam probare conatur, (in Commentario super Genesin cap. 25, col. 1487.) quas breviter examinabimus.

XXXVIII.

Primam petit ex Malachie verbis: Jacob dilexi: Esau odio habui. Odium DEI, inquit, reprobationis: dilectio verò electionis causa est & argumentum.

XXXIX.

Resp. Est homonymia in vocabulis odii & dilectionis. Odium enim hoc loco non denotat affectum & animum hostilem, qualem DEUS erga impœnitentes peccatores gerit: sed comparatè postpositionem, sive minorem dignationem & beneficentiam, id est, temporariam reprobationem ab hereditario primogeniture jure & successione. Quæ significatio occurrit Genes. 29. v. 31. Prov. 13. v. 24. Luc. 14. v. 26. cap. 16. v. 13. Joh. 12. v. 25. Eodem modo dilectio hoc loco significat prælationem, quâ DEUS, juxta propositum gratiæ, Jacobum anteposuit Esau, velut Dominum servo. Ita scriptura hanc dilectionem interpretatur Gen. 25. v. 23. Major serviet minori, cap. 27. v. 29. Esto Dominus fratrum tuorum v. 37. Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres ejus servituti illius subjugavi, v. 40. Vives in gladio tuo, & fratri tuo servies.

Tria

X L.

Tria contra excipit Pareus. I. inquit: Negatur consequentia à posse ad esse, & à particulari: alicubi sic significat. Ergò & hîc. R. non argumentamur à particulari, sed nativam significationem odii & dilectionis, ex circumstantiis textûs, & ex collatione historiae in Genesi descripta, probamus. Isaac enim dilectionem Jacobi sic exponit: *Eslo Dominus fr atrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuae*: Odium verò Esavi Malachias non exponit de exclusione Esavi à salute, sed de signo illo externo facta postpositionis, quod fuit derrusio in terram desertam & maledictam.

X L I.

II. Odium, inquit, hîc non potest secundum quid, seu comparatè accipi, quia & historia Mosis, & scopus Pauli docet, Esau sic fuisse odio habitum Deo, ut à foedere & salute aternâ, tanquam βέβηλ & sit exclusus. In causâ autem foederis & salutis negligi est reprobari.

X L II.

R. Pareus petit τὸ ἐν δεξιῇ. Exclusionem Esavi à foedere & salute aternâ, nec ex historia Mosis, nec ex scopo Pauli probare potest: nec vocabulum βέβηλ & profanus (quo utitur Epistola ad Hebr. c. 12. v. 16. talem significationem subinfert. In Syrâ translatione usurpatur vocabulum נַפֵּר quod descendit à R. נַפֵּר, & remissum, segnem ac debilem significat, & innuitur hâc voce stupor atq; inertia Esavi, quod nō majori zelo inestimabilem primogeniturae dignitatem custodierit, cui annexa erat dignitas sacerdotalis & ducalis, benedictio Dei amplissima, quin & promissio (ut nonnullis placet) ex posteris ejus olim nascituri seminis benedicti, sed eandem, ob vile edulium, fratri vendiderit.

X L III.

Quae quidem profanitas atrox fuit peccatum in Esavo: quod

B 2

autem

autem ideò à fœder. & gratia DEI exclusus fuerit, & infernalibus flammis addictus, Paræo adhuc probandum incumbit.

XLIV.

Lutherus super c. 35. Genes. ex circumstantiis textus probabiliter statuit, Esavum veram pœnitentiam egisse. Conveniunt, inquit, frater Esau & Jacob ad sepulturam, & ponitur Esau in textu ante Jacob: neq; verò dubium est, quin etiam antea visitârit Patrem, & Pater sepe eum amanter castigârit & monuerit, ut deponeret odium & vindictæ cupiditatem. Ideò venit ad funus, ut obedientiam & reverentiam suam erga Patrem declaret. Et est signum certum, rediisse eum in gratiam cum fratre, & se adiunxisse veræ Ecclesiæ, ut fieret particeps promissionis spiritualis, si non ex promissione, tamen ex gratia: sicut nos gentes recipimur in gratiam non ex promissione, sed ex misericordia.

XLV.

Huc pertinet observatio Lutheri, quam in margine cap. 1. Hab. c. 1. attingit: sepe nimirum in N. T. aliquid allegari ex V. T. tantummodo per applicationem aliquam. Ita Epist. ad Ebr. c. 12. procedit: ut primò agat de primogenitura, sine qua multi (qui primogeniti non fuerunt) salvati sunt: deinde transferat hoc ad æternam salutem, quam profani homines per infidelitatem & apostasiam amittunt.

LXVI.

Sicut igitur Esau vili edulio ex insigni profanitate vendidit jus primogeniture, cumq; nihilominus benedictionem hereditare cuperet, justè Deo sic moderante reprobatus est: Ita qui gratiam oblatam contumaciter repudiant, inq; impietate petulantè perseverant, non recipientur in die iræ, sed in exitio relinquentur.

XLVII.

Tertio excipit Paræus: Odium hîc opponitur dilectioni:

220

Etioni: Ergò hostilem affectum significat. R. Major qua
hic omittitur; (ubicunq; odium opponitur dilectioni, ibi hosti-
lem affectum significat) Non est καθόλα. In plerisq; enim testi-
monis odium dilectioni oppositum non hostilitatem sed post ha-
bitonem denotat, Genes. 29. v. 31. Prov. 13. v. 24, Job, 12. v. 25.

XLVIII.

Secundam rationem pro interpretatione Calvinisti-
ca desumit Pareus ex testimonio Pauli, qui alioqui & hoc
oraculum & Malachiae dictum perperam allegaret. R.
De allegatione Paulina supra th. 14. & seqq. egimus. Paulus e-
nim Esavum & Jacobum, non ut exemplum, sed ut typum ele-
ctionis & reprobationis adducit.

XLIX.

Tertiam rationem depromit ex historia. Esau, inquit,
abjecit primogenituram. At absq; primogenitura nemo
est de Ecclesia primogenitorum, h. e. electorum. Ebr.
12. v. 23.

L.

Et infirmitas hujus rationis appareat, ita argumentor:
Absq; primogeniturâ, nemo est de Ecclesia primogenitorum, hoc
est, electorum.

Multi sancti ac patriarchae ac reges in V. T. fuerunt absq;
primogeniturâ.

Ergo non fuerunt de Ecclesia primogenitorum, hoc est, ele-
ctorum. Conclusio est absurda. Ergò vel major vel minor.
Non minor. Quia nec Moses, nec David, nec Joseph. & c. fue-
runt primogeniti. Ergò major.

L I.

Si autem in antecedente conjungit primogenituram
corporalem & spiritualement: in consequente autem spiritua-
lem tantum intelligit, de qua etiam dictum quod allegat loqui-
tur: de industria sophisticatur affrendo medium ambiguum.

Probandum enim ipsi est, quod Esauus per pœnitentiam non recuperaverit ius primogenitura, & sic ad Ecclesiam primogenitorum redierit.

LII.

Dictum ad Hebr. 12. v. 23. nihil juvat adversarium. Non enim leguntur ibi hæc verba: absq; primogenitura nemo est de Ecclesia primogenitorum: sed describitur ibi Ecclesia, seu cœlestis Hierusalem ab indigenis, inter quos 1. numerantur multa milia Angelorum. 2. panegyris, seu conventus ac cœtus primogenitorum. 3. Judex omnium DEUS. 4. Spiritus perfectorum justorum. 5. Testamenti Novi mediator JESUS.

LIII.

Per primogenitos hoc loco intelliguntur sancti Patriarchæ & reliqui fideles, qui expectarunt consolationem Israël, Luc. 2. v. 25. qui eadem fide in Christum salvati sunt, qua nos salvamur. Act. 15. v. 11. Isti enim respectu postgenitorum in N. T. fuerunt velut ἀπαρχαί, id est, primitiæ longè ante nos DEO oblatae, & quasi primi Ecclesiæ filii.

LIV.

Quartam rationem petit Pareus à privatione benedictionis paternæ. Esau, inquit, non obtinuit benedictionem Patris, quæ non fuit verbale votum, sed prophetica adoptionis obsignatio. At absq; benedictione nemo est electus, aut servatur. Sic interpretatur Apostolus Hebr. 12. v. 16. Ne quis sit scortator, aut prophanus (βέβηλος) sicut Esau: scitis enim, eum etiam postea, cum vellet benedictionem assequi, reprobatum fuisse.

LV.

Ex. De distinctis distinctè est loquendum. In hac ratione Pareus confundit benedictionem externam, cum benedictione spirituali & interna, quæ sine externa benedictione consistere potest, sicut exempla multorum sanctorum testantur, qui

22

qui benedictione primogeniturae caruerunt, nec tamen spirituali
& interna benedictione destituti fuerunt.

LVI.

Deinde antecedens quoque est negandum. Esau enim non
ab omni paterna benedictione fuit repulsus, sed à certa saltem
specie benedictionis, quæ cum jure primogeniturae erat conjun-
cta: nihilominus Isaac peculiarem benedictionem Esauo imper-
tavit. Genes. 27. v. 39. 40.

LVII.

Et licet Pareus asserat, istam benedictionem reverà nullam
& propriè non fuisse benedictionem, sed prædictionem conditio-
nis futurae: tamen ex antecedente petitione Esavi v. 38. & ex
ipsis formalibus textus luculenter apparet contrarium. Pueri-
lis est exceptio, quod non sit benedictio, propterea, quia Moses
non dicat, quod Isaac benedixerit, sed dixerit Esauo: Quoties
enim hic modus loquendi occurrit in benedictionibus Moysi,
Num. 33. v. 8. Levi quoque ait: v. 12. Et Benjamin ait, v. 18. Et
Zabulon ait; v. 20. & Gad ait, v. 22. Dan quoque ait, v. 23. &
Nephthali dixit, &c.

LVIII.

Quod Pareus præterea scribit: benedictionem in Jaco-
bum translata fuisse propheticae adoptionis obsigna-
tionem, sciendum est, adoptionem vel dici respectu primoge-
niturae naturalis, vel respectu beneficii spiritualis, quo per
fidem in Christum adoptamur in filios DEI, Gal. 3. v. 26. Hu-
jus adoptionis ordinarium medium in Veteri Testamento fuit
Sacramentum Circumcisionis, quo Esavus haud caruit, quod
Paulus Rom. 4. v. 11. appellat signaculum justitiae fidei. Illius
adoptionis Prophetica obsignatio fuit benedictio annexa.

Interim

LIX.

Interim libenter concedimus, quod Patriarcha in suis benedictionibus filiis suis constantiam ac perseverantiam in gratia adoptionis precati sint: hanc ratione vota eorum non fuerunt inania verba, sed efficacissima apud omnes credentes, secundum promissionem Christi, Luc. 10. v. 6.

LX.

Quinta & ultima ratio, qua Pareus & de pulwiciav Calvinianam palliat, hac est. Esau descivit ab Ecclesia & à foedere. Descivit ergo à salute; quoniam extra Ecclesiam nulla est salus.

LXI.

Resp. Per distinctionem inter defectionem à foedere, totalem & finalem. Totalis defectio ita contingere potest, ut peccator ante finem vite per seriam pœnitentiam, rursus recipiatur in fœdus gratia, quâ exciderat propter infidelitatem: Finalis verò defectio propter impenitentiam finalem est signum reprobationis.

LXII.

Ut ut igitur concesserimus Esavum propter atrociora peccata, que tum in parentes, tum in fratrem Jacobum designavit, totaliter descivisse ad tempus: tamen quia nec ex Veteri, nec ex Novo testamento locus expressus afferrî potest, ex quo firmiter finalis defectio Esavi probari queat; contra in sacris literis non obscura resipiscentia Esavi vestigia reperiantur, (vide supra thes. 24. 25. 42.) non possumus nec debemus illum in Catalogum reproborum referre.

LXIII.

Seridò igitur improbamus & de pulwiciav Calvinianorum, qui precipuum fundamentum, pro figmento absoluti odii Dei erga reprobos & absoluti amoris erga electos in hoc vaticinio

Mala-

222

Malachia quærent ac collocant, sed non nisi depravato, & ad præconceptos suos sensus violenter contorto.

LXIV.

Subruto igitur ac subverso hoc fundamento commentum istud de absoluto DEI odio ac amore per se collabascit.

LXV.

Tantum enim de DEO scimus, quantum nobis in verbo patefacto revelare dignatus est.

LXVI.

Reclamat autem tali absoluto odio in DEO totum verbum tum Legis, tum Evangelii, unà cum Sacramentis, quæ sunt velut visibile verbum.

LXVII.

Etenim Lex DEI describit nobis Deum, quod sit 1. verax, 2. iustus, 3. sanctus, 4. εὐδικεῖ τὴν ἡσ, 5. irascens peccatis, 6. dumq; peccatum prohibet, clarè docet, Deum non esse causam peccati. 7. & confirmat simul contingentiam in vitiosis actionibus, 8. per clavem quoq; ligantem excommunicat impænitentes peccatores, quod iudicium ipsius DEI iudicium est, minimeq; fallit. Joh. 20. v. 23.

LXVIII.

Commentum autem de absoluto reprobationis odio contrarium per omnia statuit: 1. Veritatem DEI tollit, quia universales Dei promissiones, etiam iurejurando confirmatas, de salvatione omnium hominum in dubium vocat: 2. iustitiam negat, quia supponit, maximam partem generis humani igni infernali adjudicari, nullo habito incredulitatis eorum respectu. 3. sanctitatem negat, quia statuit, Deum occultè velle pecca-

C

ta, &

ta, & homines ad ea instigare, 4. ex Deo simulatorem & hypocritam facit, quia fingit, Deum de salvifica sua erga homines voluntate aliud externo verbo testari, aliud tacito sub pectore volvere. 5. statuit quoque, Deum delectari peccatis, quia eadem decernat. 6. Deum autorem & causam peccati esse docet. 7. absolutam necessitatem peccandi invehit, omnemque contingentiam in malis actionibus abolet. 8. tandem iudicium Ecclesiae in usu clavis ligantis erga impenitentes ac praefractus peccatores erroris arguit, quod ex Ecclesiae communione ejiciat ac excludat eum, qui forsitan Dei amicus, filius ac haeres est.

L X I X.

Sic Evangelium Deum ita describit, 1. quod sit Φιλάνθρωπος. 2. quodque sua Φιλανθρωπίας insignia ediderit documenta, in creatione primæva, per quam omnes homines in protoplastis creavit ad imaginem suam, & ad vitam æternam, Gen. 1. v. 27. Sap. 2. v. 23. nihilque eorum odio prosequitur, quæ fecit, Syr. 11. v. 25. In beneficio redemptionis per Christum factæ, quem dedit pretium redemptionis pro omnibus 1. Tim. 2. v. 6, qui est ἰλασµὸς pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, verum pro peccatis totius mundi, 1. Joh. 2. v. 2, in beneficio sanctificationis, nam per ministerium spiritus serio omnes vocat ad penitentiam, & fidem offert omnibus, Act. 17. v. 31. 3. quod sit misericors, juramento affirmans, se nolle mortem peccatoris, Ezech. 18. v. 33. 4. quod diligat totum mundum, Johan. 3. v. 16. 5. quod sit verax & constans in promissionibus suis, 2. Cor. 1. vers. 20. 6. quod vitam æternam, non nisi sub conditione fidei, sit daturus, Johan. 3. v. 16. 36.

L X X.

Fiditium verò odium absolutum totam hanc Evangelii

geliū veritatem funditus everit, quia 1. ex DEO facit *μισάνθρωπον*. 2. cujus *μισάνθρωπίας* specimina edita esse perhibet, tam in creatione, cum maximam partem generis humani ad interitum & aeternam damnationem creavit, juxta hypothesein Calvinianorum; tūm in redemptione, cum CHRISTUS tantūm electis datus sit, tantūm pro eorum peccatis satisfecerit, non autem pro omnium ac singulorum hominum peccatis; tūm etiam in sanctificatione; docent enim, nunquam tempus fuisse, vel esse, vel futurum, quo voluerit, velit, aut voliturus sit DEUS singulorum misereri (Beza 2. Resp. ad Colloquium Mompelg. p. 94.) negant etiam, DEUM serio velle, ut omnes convertantur, & in CHRISTUM credant. 3. Sic quoque absolutum istud odium, quod DEO summè bono blasphemè imputatur, everit misericordissimam ejus voluntatem, & ex DEO facit crudelissimum tyrannum, 4. praeterea dilectionem DEI universalem erga totum mundum negat & pernegat. 5. veritatem Evangelicarum promissionum subvertit, & ex universalibus promissionibus merè particulares efficit. 6. tandemq; donationem vitae aeternae absolutam & inconditionatam, contra perpetuam Evangelii sententiam, comminiscitur.

LXXI.

Et quia specialis applicatio Evangelii fit mediante clave solvente, fons istius consolationis obstruitur per absolutum istud odium. Etenim si tali homini, quem DEUS absoluto odio prosequitur, à ministro Christi annuntiatur remissio peccatorum, speciosa erunt mendacia, cum DEI voluntas nunquam fuerit, tali homini gratiam hanc imperitare.

LXXII.

Tandem enervat hoc odium Dei absolutum efficaciam Sacramentorum, quae in eo consistit, quod qui juxta DEI institutionem baptizantur, illi Christum, cum toto suo merito, induunt, Galat. 3. v. 27. Spiritum regenerationis ac renovationis accipiunt, Tit. 3. v. 5. & fiunt haeredes vitae ac salutis aeternae, Marc. 16. v. 16. Tit. 3. v. 7. Similiter qui juxta Christi institutionem usurpant S. cœnam, illi accipiunt corpus Christi, pro peccatis eorum oblatum, & sanguinem ejus, in remissionem peccatorum eorum effusum. Jam verò si DEUS aliquem absoluto odio prosequitur, quid juvabunt eum Sacramenta? licet baptizetur, licet millies sacra synaxi utatur, nullam tamen inde utilitatem percipies.

LXXIII.

Eadem est ratio absolutæ dilectionis, seu meræ gratiæ, quam Calviniani Deo affingunt.

LXXIV.

Absoluta enim dilectio peccatorum, citra intuitum fidei in Christum, pugnat cum lege, quae testatur Deum diligere eos, qui præcepta eius custodiunt: odio autem prosequi omnes transgressores legis, Exod. 20. vers. 5. 6. pugnat cum justitiâ Dei, quae non permittit, ut diligatur peccator, nisi interveniat reconciliatio: pugnat cum sanctitate DEI, quia sine sanctimonia nemo videbit Deum, Ebr. 12. v. 14. pugnat cum veritate DEI, qui mortem Protoplastis interminatus est, si mandato ejus inobedientes essent, Genes. 2. vers. 17. Immutabilis hujus divinae comminationis veritas non permetteret, vel protoplastos, vel ex posteris eorum quenquam à Deo diligere, nisi poena & culpa ista in sponsorem & Mediatorem nostrum Christum translata esset.

Talis

274

LXXV.

Talis absoluta gratia & dilectio DEI pugnat quoque cum Evangelio, quod testatur, nos esse dilectos in dilecto, Ephes. 1. vers. 6. sicut & Christus docet, Johan. 16. vers. 27. amorem patris, quo nos prosequitur, non esse absolutum, sed requirere conditionem fidei. Ipse enim pater, inquit, amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia ego à DEO exivi. Eodem modo adoptio, veluti certissimum amoris divini pignus, fide in Christum subnixæ est, Johan. 1. v. 12. Gal. 3. v. 26.

LXXVI.

Sub finem huius disputationis notabimus thesin Genevensium Theologorum ex actis Synodi Dordrechtanae, p. 212. excerptam, quæ sic sonat: Cor Ecclesiæ est doctrina de gratia Dei absolutissima: hic fuit primus gradus restitutæ & redivivæ Ecclesiæ ex Papatu, quæ Pelagianismum & Semi-pelagianismum totum combiberat.

LXXVII.

Contra asserimus: dogma hoc de gratia DEI absolutissima, nequaquam esse cor, sed carcinoma Ecclesiæ, nec non deleterium fidei ac timoris DEI, & contra incentivum carnalis præsentia ac securitatis.

LXXVIII.

Utinam Calviniani, qui festucas sollicitè, sed frustra nobis in dogmatibus & vitibus Ecclesiarum nostrarum monstrare satagunt, trabem istam absoluti odii, & absolute, seu mere dilectionis & gratia DEI, ex oculis suis prius evellerent: plana & expedita via, ad concordiam Evangelicarum Ecclesiarum, esset inventa.

Sed tu Deus author pacis & concordiaë
efficere potes, quod nostra fragilitas in
tanta rerum omnium perturbatione
vix sperare præsumit.

Te oramus, ut favoris ac amoris tui lu-
mine pusillum tuum gregem irradies: odii
verò ac furoris tui flammis corripias ac
confundas hostes veritatis præfractos, &
persecutores Evangelii tui, satellites Anti-
Christi Romani, cui confusio & interitus,
Phil. 3. v. 19. Tibi verò laus, honor
& virtus seculis infinitis,
AMEN.

Honori

Honorì

Præstantissimi Domini Respondentis

M. BARTHOLOMÆI BECKII.

Nullus unquam tam impiè de Deo sensit, quàm
Calvinus:

Sic verè quidam è nostratibus: *En Epicurum!*
Venditat ille sui somnia blanda Jovis.
Lucius imbellem, à pueroq; Cupidine victum:
Cerdonista duos sed crepat esse DEOS,*
Quorum alter bonus, alter at intus & in cute nequam:
Thalmudistarum tertius at miser est,
Atq; suum cor edit, Solymam quod funditus urbem,
Romuleo exscindi passus ab hoste fuit.
Hà fatuas bardorum apinas vanugatorum,
Qua, si CALVINUM specto, fuere nihil!
Lucius ille alter fædo monstra expuit ore,
Ad qua terra tremat, & polus ipse gemat,
Secreti quoties DECRETI horrenda sonoro
Blasphemè eructat gutture puncta Canis,
Inquinat & VERBUM piceæ rationis olet.
Ultimus hoc vatium sensit & ipse nefas;*
Quem dum corruptum HÖPNERO sub Præsede sanas,
Aeterno, BECKI, dignus es elogio.
Sed premat aeternum Calvinia dedecus ora!
Ni fontes cessent collutulare sacros.
Nam quò spurcando veniet tandem impius error?
Huc; ut nil credat, devoveatq; DEUM.
Hoc à Valle suo Godofredus perdocet ausu,
De nil credendi scriptus & arte liber.

aliud agendo

M. Th. Kempferus,

Lucian. in
dial:
* Ut & Mar-
cionistæ &
Manichæi.

Calvinus al-
ter Lucia-
nus

* Malachias
cap. 1, v. 2. 3.

Hic liber Lu-
tetiaè publi-
cè exustus
est, anno
Christi 1572.

Coll. Diss. A 184, Blatt 39